



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque
Ecclesiæ Præcepta**

Tamburini, Tommaso

Dilingæ, 1697

Caput I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032



TRACTATUS V. DE V. ECCLESIAE PRÆCEPTO. HOC EST, DE SOLUTIONE DECIMARUM.

CAPUT I.

Quid sit Decima.

1. **N**quires primò : Quid sit Decima ? Respondeo : Esse partem decimam fructuum, quæ debetur Minostris Ecclesie. Sciendum enim est, Dominum DEUM tempore legis scriptæ voluisse, ut Levitis, qui erant Ministri in ipsius DEI Templo, ad eorum sustentationem darent omnes alij, qui non erant de Levitica tribu, decimam partem fructuum, quos colligebant ex suis prædijs, & animalibus, quibus cebat Tribus Levitica. Ecclesia ergo ad imitationem illius Temporis voluit, ut Ecclesiastici, qui rebus spiritualibus inserviunt, & Sacraenta populis Fidelibus ministrant, dentur etiam decimæ omnium si milium fructuum, quos colligunt dicti Fideles ex suis prædijs, & animalibus, ut sic habeant, unde commone lè sustententur Ecclesiastici.

2. An autem voluerit id Ecclesia ex tolo suo jure Ecclesiastico ; an id

præcepit DEUS, ita ut decimæ autur debitæ ex jure divino, nec solo Ecclesiastico, quæstio est inter Doctores, quam videre poteris apud citatos à A. Stropalao, tom. 2. disp. unicade decimæ p. 1. qui tandem docet, illud, quod datur Ecclesiasticis ob eorum merita sustentationem, debere distingui ab eo, quod datur Ecclesiasticis ob rationem integræ decimæ, quæ certe solet esse major, quam sic illud, quod datur ob sustentationem, additque, integras decimas deberi Ecclesiasticis ex solo jure Ecclesiastico ; id verò, quod est necessarium ob dictam sustentationem, deberi etiam de jure divino, & naturali, juxta illud : *Dignus est operarum mercede sua.*

Quotuplex sit Decima, & ex quibus solvenda.

3. **I**nquires secundò : Quotuplex est Decima ? Respondeo. Triplex. Prædialis, Personalis, Mixta. Prædialis est illa, quæ proficitur ex fructibus agrorum, arborum, piscina-

rum,

rum, molendinorum, locationum, domorum, &c. Personalis est, quæ proficitur ex fructibus, & proventibus ab industria personæ; ut ex lucro negotiationis, ex mercatura, ex ludo, ex bello, venatione, &c. Mixta, quæ partim provenit ex industria personæ, partim ex prædijs; hujusmodi est, quæ provenit ex fructibus animalium, lacte, caseo, buryro, &c. ad hos enim fructus concurrit industria hominis, & pascua prædictorum.

4. Norandum autem est, hodie si vexconuentudine, sive alio ex capite, jam non esse usum solvendi decimas personales, ut habent Doctores plures, quos citat, & sequitur Castropalaus, *loc. cit. p. 6. n. 10.*

5. Norandum item, decimas mixtas, qua parte sunt decimæ personales, esse pâri modo usu abrogatas; sunt enim omnes personales abrogari. Quare non erit necesse, ut in hac disputacione de mixtis agamus: siquidem qua parte proficitur à prædiorum pastuis, prædiales sunt, de quibus certè deinceps agendum nobis erit.

6. Regula igitur sic universalis, decimas de jure deberi Ecclesiæ ex omnibus fructibus, & proventibus, qui habentur ex bonis mobilibus, qualia sunt animalia, & ex bonis immobilibus, quales sunt domus, prædia, piscinae, &c. Itaclarè habetur *cap. Nobis. cap. Non est*, & passim *titulo de decimis.*


7. Dices: hinc sequitur, quod non solum ex frumento e. gr. collecto ex agris deberetur decima, verum etiam ex palea, & ex herbis, quæ venduntur in foro ad animalia pascenda, ex

omnibus fructibus arborum, ex oleribus minutis, ex leguminibus; hæc enim omnia, & similia fructus sunt prædiales. Item deberetur etiam ex melle, & cera, quæ sunt fructus apum.

8. Respondeo: Concedendo se quelam ex vi, & rigore juris: tres tamen limitationes sunt adhibenda. Prima est, excipienda esse olera minuta, quæ ex horis colliguntur, non ad lumen, sed ad quandam commodatem, & voluptatem propriæ familie, ut notat S. Thomas, 2. 2. *quest. 83. art. 2. ad 3.* id enim exigere, nimis est fidelibus onerosum.

9. Secunda limitatio est, ex examinabus, & alvearibus apum, quæ denud prodeunt ex præcedentibus apibus, non deberi decimam; hæc enim vel habentur quasi animalia sylvestria, & industria personæ ea colligentis tribuuntur, vel ipsa consuetudine legitime introducta non debentur, ut notat Azor, *lib. 7. tom. 1. cap. 35. quest. 9. cap. 34. num. 4.*

10. Tertia limitatio, hæc esse dicta de rigore juris; nam ceterum in multis ex his per consuetudinem legitime præscriptam derogatum est: propterea enim omnes Doctores, de hoc argumento decimarum tractantes notant, debere in unaquaque Ecclesia considerari, & servari illud, quod ibi consuetum est.



Fff 2 CA-